Cedunt insignia propria.


Sed pro omnibus hæc lex constituta. etc.
SINE LABE
CONCEPTA

ILL.MO D. D. PETRO
RODRIGUEZ DE
CAMPOMANES

COMITI DE CAMPOMANES, EQUITI distincti Ordinis Caroli III; Depositario, ac Decurioni perpetuo Municipij, et Concilij de Tineo, Concilij, et Cameræ Majest. Cath. ejusque primario Fiscali; Presidenti honorati Concilij de la Mesta; Ministro Regalis Congressus Immaculatæ Conceptionis, et supremæ sanitatis; pænarum Cameræ, et justitiæ Regni sumptuum Subdelegato generali; Regalis Societatis Presidenti Tipograforum, ac Regni Librariorum, Academico Regalis Academiæ Hispanæ, Inscriptionum pulcrarumque litterarum Parisiensium, Regalis Societatis Matritensis Amicorum Patriæ; Honorario Agriculturæ Galleciæ, Societatis Bascongadæ Amicorum Patriæ, Academiæ scientiarum Barchinonensium, et Hispalensium; Regalis Academiæ Historiæ Directori &c. &c.

****

Tibiergo, illustrissime D. tibi, inquam, ob efectum benignitatis tuæ subsequentes dico Conclusiones ex purissimis Fontibus depromptas Doctorum Subtilis, et Serafici Joannis Duns Scoti et D. Bonaventuræ; sed hinc incipiam, silentio occludens profundissimo condignas laudes, encomia, honores quibus certó fungeris? Certo, si referam, nec incipiam uncquam, et si semper dicam, nam

Nemo licet linguas habeat quot messis aristas
Poma quot Autumnus, quotque habet arva Ceres
Omnia jam posset depromere digna relatu,
Et si suficerent, non tibi certe placent.

Vestrâ igitur freto gravitate, modestia, per te mihi liceat, sapientissime D. elogium pronuntiare brevissimum, quod dignius judico, proprius appello, ac sic efformo:

Dulcis amor Patriæ vitali munere fungens
Per vos, jam vestræ gloria laudis erit,
Ipse floret, vegetans in CAMPO semper amœno
Famosus meritis semper uvique MANES.

Nec mirum, aut novum, nihil enim præclarius, aut præstantius est, ait Cicero, quam de Republica bene mereri; hinc illud percelebre dictum Augustini: mayor sit Patria ipsis Parentibus tuis, ut quidquid jusserint Parentes contra Patriam, non audiantur; Hinc Apostoli maxima, ne dicam prœceptum: Nemo quod suum est quærat, sed quod alterius; Hinc denique materia subsequens oritur, et utinam oriatur utilitas, profectus, ornamentum Reipublicæ Hispanæ.

1 IN statu innocentiæ, et in pura lege naturæ omnia erant communia, ita quod in eo statu non erant rerum dominia distincta neque divina, neque naturali lege.

2 In statu naturæ lapsæ, aut post peccatum conveniens non fuit omnibus fuisse omnia, communia, atque ideó rationabiliter fuerunt rerum dominia distincta.

3 Hæc dominiorum distinctio per legem tantummodo humanám positivam introducta est.

4 Nullus autem taliter suorum Dominus est, ut ea possit consumere in usus profanos, nocivos, aut superfluos.

5 Juste tranfferri potest dominium de uno in alium per legem communem justam, et á Principe datam, vel ab eo qui habet Communitatis authoritatem.

6 Dominus alicujus rei non prohibitus á lege, seu á Superiore a cujus voluntate dependet, rem suam donare potest alij recipere volenti.

7 Omnis Dominus cujus cumque status et conditionis sit naturali, ac divina lege tenetur eleemosinam erogare.

8 Eleemosina autem non in sola pecuniæ eroga-

tione est sita, sed in omni opere quod humana sublevatur indigentia.

9 Ex injusté acquisitis cum injuria alterius aut ex ijs quæ restitutioni sunt obnoxia rapina, furto &c. licité fieri nequit eleemosina.

10 Possunt, immo debent Judices; ac Magistratus compellere subditos ad eleemosinas elargiendas quoties tenentur ex præcepto illas facere, ac, ut consulant Reipublicæ utilitati, facere renuunt.

11 Ecclesiæ etiam de his quæ superfluunt ex Fabrica pauperibus erogare tenentur.

12 Pia similiter sunt opera subsidia illa quæ ex reditibus Ecclesiæ aliqui Pælati Regibus præstant in necessitate constitutis ob bellorum oppressione sive geratur bellum adversus infideles, Hæreticos, vel etiam Fideles.

13 Simulantes paupertatem, eleemosinam accipere nequeunt, quin potius restitutioni obligantur.

14 Dicenti se esse in extrema, aut gravi necessitate non facile est credendum.

15 Mendicare ex vitiositate culpæ omnino est vituperabile.

16 Pauperibus his eleemosinam erogare, quæ in elargitione pecuniæ sistit, indebitum valde, immo perniciosum est, extremæ si excipias necessitatis casum.

17 Eleemosinæ elargitionem apud hos terminari debere ad artes promovendas, quibus ipsi, et Respublica foveantur, non ratione tantúm, aut humana lege, sed etiam ex apostolica sufficienter eruitur doctrina.

18 Reipublicæ Magistratus, judices, aut Superiores illius tenentur Subditos compellere ad manualem quemlibet laborem, qui eis, ipsique Reipublicæ proficere queat.

19 Possunt, immó debent hujus modi Rectores nulli permittere mendicationem hostiatim, nisi prius cognita, et approbata sit ejus cáusa á Civitatis Præfecto.

20 Mendicatio voluntaria, ac per otium solummodo introducta valde est indecorosa, ac pernitiosa pauperi, Reipublicæ, ipsique diviti pecuniæ elargitione auxilienti.

21 Hæc eadem Simul est divinæ injuriosa Providentiæ.

22 Unicum et quidem optimum est practicum re-

remedium ad bonos concervandos mores, Reipublicæ decentiam, ac inducendam, concervandamve culturam generalis laborum aplicatio, muttuusque conatus in artium perfectione sive ex parte illas profitentium, sive ex illas protegentium.

23 Pauperes ergo illi (de Laycis loquor sæcularibus) qui ad omnia vel aliqua manualia opera validi, et apti sunt, et laborare renuunt martaliter peccant.

24 Jidem volentes ex eleemosinis vivere, meritó coerceri et tancquam vagabundi puniri debent per publicam potestatem.

25 Hic labor manualis nec statui opponitur clericali, aut Religiosæ paupertati, immó plurimis prœceptus est Monachis, alijs conciliatus.

26 Laudabilis etiam apud perfectiores cujus cumque status, dum devotionis spiritum non extinguat, ut ait Serafic. P. N. Franciscus, aut eos retrahat ab altioribus occupationibus.

27 Ad pauperum utilitatem, Reipublicæ profectum, bonos concervandos mores, et vitia vitanda melius est pauperes in Hospitio collocare, quam vagos sinere per civitates.

28 Ad hoc saltem stabiliendum vel fabricandum cooperari debent industria, labore, concilijs, pecunia, aut studio cives omnes cujus cumque status ac conditionis sint

29 Melius est præstare creditó pecuniam ad hoc perficiendum, si pauperibus debita non suficiant, quam ad particulares promovendos.

30 Hæc contrá sentientes, vel aliquo modo impedientes merito puniri debent tancquam Reipublicæ nocivi.

Parabitur Minervalis Palæstra á *P. Fr. CHRISTOFORO GUERRA* Collega olim D. Bonaventuræ Collegij sub præsidio *P. Fr. MICHAELIS LOPEZ* Sacræ Theologiæ Lectoris in Magna hac S. P. N. S. Francisci Domo die 5 Novembris

---

Præbito permissu, & Regii Censoris approbatione: HISPALI, ex Typographia *JOSEPHI PADRINO* in vico Genuensi annò D. MDCCLXXXII.

***** *****

28 Ad hoc saltem stabiliendum vel fabricandum cooperari debent industria, labore, consiliis, pecunia, aut studio cives omnes cujuscumque status ac conditionis sint

29 Melius est præstare creditò pecuniam ad hoc perficiendum, si pauperibus debita non sufficiant quam ad particulares promovendos.

30 Hæc contra sentientes vel aliquo modo impedientes merito puniri debent tanquam Reipublicæ nocivi.

Parabitur Minervalis Palæstra à *P. Fr. CHRISTOFORO GUERRA* Collega olim D. Bonaventuræ Collegij sub præsidio *P. Fr. MICHAELIS LOPEZ* Sacræ Theologiæ Lectoris in Magna hac S. P. N. S. Francisci Domo die 5 Novembris

---

Præbito permissu, & Regii Censoris approbatione : HISPALI. ex Typographia *JOSEPHI PADRINO* in vico Genuensi annó D. MDCCLXXXII.

* * * *
* * * *